

PRÆFATIÖ.

Picturis delectari , oculosq; his spectaculis libenter
pascere. Obtinuisse autem , ut à Sapientiæ hortu-
lis terriculamenta tollantur , magnum operæ preti-
um erit.

Secundò serviet Libellus idem , excitandæ , rebus
affigendæ & semper magis magisq; exacuendæ Attentioni : quod
& ipsum magnum est . Sensūs enim (ætatulæ primæ
duces potissimi , quippe ubi mens ad abstractam rerum
contemplationem nondum se elevat) objecta sua
semper quærunt , absentibus illis hebescunt , tædioq;
sui huc illuc se vertunt ; præsentibus autem objectis
suis , hilarescunt , vivescunt , & se illis affigi , donec
res satis perspecta sit , libenter patiuntur . Libellus
ergò hic Ingeniis (vagis præsertim) captivandis , &
ad altiora studia præparandis , bonam navabit ope-
ram .

Unde tertium sequetur bonum, ut *huc allecti & hāc cum attentione traducti Pueri*, *Rerum in Mundo primaria- rum notitiâ per lusum & jocum instruantur*. Verbo : *Vestibu- lo & Januæ Linguarum amœniùs tractandis*, *Libellus hic serviet*, quò etiam primariò destinatur.

Si tamen Vernaculis etiam Linguis eum placeat
concinnari , alia tria de se promittit bona.

I. Literarum Lectioni facilius quam hactenus addiscendæ, stratagema suppeditabit: præsertim eidem præmisso Alphabeto Symbolico, Literarum nempè singularum characteribus, cum appictâ Animalis istius, cuius vocem Litera illa imitatum it, imagine. Ex ipsâ quippe Animalis inspectione vim characteris cujusq; recordabitur facile Alphabetarius tiro: donec usu firmata